

UNDE VI.

8.4.1

Impp. Diocletianus et Maximianus AA. Theodoro.

Recte possidenti ad defendendam possessionem, quam sine vitio tenebat,
inculpatae tutelae moderatione illatam vim propulsare licet.

PP. XV k. Dee. ipsis IIII et III AA. consss.

[a. 290]

8.4.2

Idem AA. et CC. Alexandro.

Vi pulsos restituendos esse interdicti exemplo, si necdum annus excessit,
certissimi iuris est, et heredes teneri in tantum, quantum ad eos pervenit.

S. ... AA. consss.

[a. 293]

8.4.3

Idem AA. et CC. Ulpiae et Proclinae.

Auctoritatem vobis rescripti nostri tenendae possessionis, quam vos
per violentiam adeptas profitemini, commodari nimis improbe postulatis.

S. VIII id. April. CC. consss.

[a. 294]

8.4.4

Idem AA. et CC. Hygino.

Si de possessione vi deiectus es, eum et legis Iuliae vis privatae reum postulare
et ad instar interdicti unde vi convenire potes, quo reum causam omnem praestare,
in qua fructus etiam, quos vetus possessor percipere potuit, non quos praedo perceptit,
venire non ambigitur.

S. IIII id. April. Sirmi CC. consss.

[a. 294]

8.4.5

Imp. Constantinus A. ad Tertullianum.

Invasor locorum poena teneatur legitima, si tamen vi loca eundem invasisse constiterit,
nam si per errorem aut incuriam domini loca ab aliis possessa sunt,
sine poena possessio restitui debet.

D. VI k. Marti. Gallicano et Symmacho consss.

[a. 330]